

1123 E 13  
THESES PATHOLOGICO-THERAPEUTICÆ INAUGURALES

D E

# CAUSIS INTERMITTENTIUM FEBRIUM, EARUMQUE PERTINACIÆ RATIONE,

Q U A S

IN INCLYTA ACADEMIA FRIDERICIANA  
INDULGENTISSIMA AUCTORITATE REGIA,

E T

CONSENSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

P R O

## GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIME IMPETRANDIS

EXHIBUIT

D. Decembris Anno MDCCXXXIII.

AUCTOR

## MICHAEL NATHANI HIRSCHEL

POSONIO HUNGARUS  
GENTE JUDÆUS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
EX OFFICINA HENDELIANA,

ALMUDENAS VICTORIAE CONSOLATIONIS  
Y 212 U 1 A 3 191  
MULTIPLICATIO  
ANALOGIA  
SOCIETATIS  
ORIS  
EX OFFICINA HENDRIKIANA

*EXCELLENTISSIMO AC ILLUSTRISSIMO*  
**DOMINO COMITI**  
**IOANNI PALFY**  
**AB ERDÓD**

Perpetuo in Vöröskő & Bajmoc., Iudici Curiæ  
Regiæ, Comitatus Posoniensis Supremo, Per-  
petuo Comiti, Arcisque Regiæ Posoniensis Su-  
premo &que ac Hæreditario Capitaneo, Gene-  
rali Campi Mareschallo, Unius Regiminis Ca-  
taphractorum Colonello, Sacræ Cæsareæ Re-  
giæque Catholicæ Majestatis Actuali Intimo,  
Excelsi Regii Locumtenentialis Consilii  
Consiliario &c. &c. &c.

**DOMINO DOMINO MIHI**  
**GRATIOSISSIMO.**

LUSTTATRONICAE MUSICO

DOMINIO DOME

IOANNI PATE

ANTRON

Perfumariae Aromaticae, perfumaria  
Rex, Comitis, Arcanae, Secreta, Logistica  
Patio Comitis, Arcanae, Secreta, Logistica  
Diversitatis et Historiarum, Logistica  
Tali, Chirurgicorum, Chirurgia, Chirurgie  
Sedentia, Chirurgicorum, Chirurgia, Chirurgie  
Patio, Rerum, Logistica, Logistica, Logistica

C. ANTRON

*Excellentissime ac Illustrissime*

**DOMINE COMES**

*Domine Gratiissime.*

Cum præmeditarer Celsissimo *Tuo*  
*Nomine* leves has condecorare pa-  
ginas, tum ab hoc solenni conatu  
mea me removebat verecundia, summa  
tamen *Tua* singularis Comitas me denuo  
invitabat, ut *Tuo Illustrissimo* ac validissi-  
mo Tutamini hæcce studia mea submit-  
tere, eaque qua debo submissione dedica-

re fuerim ausus. Indulgat temeritati meæ,  
quam supplex deprecor, & pro fulgentissi-  
mo Clementiæ Tuæ affectu veniam impe-  
traturus spero. Varia rationum sunt mo-  
menta, quæ mihi ad hoc conamen stimu-  
lum ac calcar dederunt, e quorum nume-  
ro palmaria sunt: *primo* quo sub Umbra  
*Tua* satisque potenti Protectione leviden-  
sis hic meus labor animam quasi & vitam  
acquirat, *Tuoque* splendidissimo Jubare  
porro maturescere & enutrirī incipiat: *se-  
cundo* non exigua, sed innumera clemen-  
tiæ documenta, quibus nos omnes *Tibi*  
subjectissimos & obstrictissimos subditos  
hucusque haud dignatus fuisti, meum  
maxime incalucere pectus, ut hac pergra-  
ta occasione, pro eadem eximia gratia  
publicum quoddam demississimi animi  
mei specimen elaborare, non renuerim.

Istud

Istud itaque vile meum scriptum , quod  
submisse ut decet offero ,

*Esto Tibi sacrum.*

Ast ut ut pro diffusa quadam febrium tra-  
tatione perficienda , meum hoc opuscu-  
lum minus complectum ipse fatear , nihil  
ominus tamen me , quantum Dissertatio-  
ni Inaugurali initiantique Medico suppe-  
tit , præstitisse satis , opinor , fusius enim  
& prolixius his de morbis egerunt alii ante  
me viventes medici , adeoque mihi cram-  
bes biscocta fuit odiosa ; Attamen , qua  
medici nunc laureati muneri fungens non  
potui præterire , quin de his in Patria sæ-  
pe occurrentibus affectibus generaliter tan-  
tummodo aliqualem injecerim mentionem ,  
publicam salutem præservandi , &  
complures illos abusus , tam ex parte di-

ætæ quam imperitæ curationis , evitandi  
gratia. Faxit Deus Omnipotens , ut nec  
cuique medicastro impune liceret , in vi-  
scera proximi , impudenti conatu noxiis-  
que remedii sœvire , tum denique medico  
rationali ad finem & scopum suum , i.e.  
ad amissam sanitatem , quæ inter omnia  
temporariæ prosperitatis cimelia primari-  
um est brabeum , restituendam , facilior  
bono cum Deo strueretur accessus.

Accipe ILLUSTRISSIME DO-  
MINE COMES elata Fronte Gra-  
tiosoque Vultu has , non satis quidem di-  
gnas , immensa tamen pietate *Tibi* con-  
secratas , pagellas ! Accipe gratissimam ,  
quam voveo , mentem !

Quod superest efficitur a summo re-  
rum humanarum Arbitro ardentissimis  
exora-

exorabo suspiriis, ut gressus *Tuos* in sem-  
piternam sui Nominis Divini *Tuique Glo-*  
*riam in EXCELLENTISSIMÆ DO-*  
*MUS TUÆ fulgorem ac florem neu-*  
*tiquam marcescentem, sed stabilem diri-*  
*gat, largiatur *Tibi* seram senectam, cun-*  
*&taque adversa mala abeſſe juheat quam*  
*longissime. Te quoque in omni incolu-*  
*mitatis statu Patriæ Gubernatorem mul-*  
*tos conſervet Annos, quo per Te Eximi-*  
*um & Strenuum *Heroem* Patriæ ſecuritas*  
*vigere, ac a quocunque hostili impetu fal-*  
*vari protegique queat, quippe cum nun-*  
*quam deficiet ſummus ille cultus & vene-*  
*ratio, quam *Tibi*, ob insignia merita &*  
*beneficia, ex æquo debet quisque indige-*  
*narum, inter quos cuncti Posonienses Ju-*  
*dæi in genere, mea autem *Tibi* devin-*  
*tiſſima familia in ſpecie devotissimum*

reco-

recolunt animum, & quorum memoria  
ne in posterum etiam senescat, instantis-  
sime supplico, quo facto ut & fructus in  
me redundant, persuasus sum. Ulterio-  
ri Gratosissime Tuo Patrocinio me com-  
mendo, perennisque cuncta observan-  
tia persistam.

*Excellentissimi ac Illustrissimi*

*Nominis Tui*

Cultor humillimus, obsequiosissi-  
musque subditus

MICHAEL NATHANI HIRSCHEL,

M. D.



## PROOEMIUM.

**D**esignem morborum ab antiquissimis temporibus fuisse jam annotatum numerum, neminem latebit, etiam qui prima saltem medicinæ salutarunt limina, adeo ut obiter introsipientibus hic ægritudinum campus latissimus & fere inextricabilis videatur labyrinthus. Verum enim vero cum superficiaria scientia cujusvis, ita & medicinæ, cognitio turpis & noxia sit, hinc rem penitus scrutari oportet; Ubi quidem verissimum illud medicinæ Parentis **HIPPONICATIS** Coi effatum *sect. I. Aphor. I. Ars longa quod sit medicina adstruo*, interim hoc suum dicterium sub certa intelligo limitatione, in tantum nempe studia necessaria ad medicinam speculativam consecrata, ursopote physica, anatomica, & hujus generis alia dicta volo ac intueor, omnino artem nostram Apollineam longæ non solum, sed etiam longissimæ nomen mereri assentio, quantum vero soli medicinæ practicæ competat, & quod ad usum

A e medi-

medicum applicandum, sic certe artem nostram ab  
 Hippocratis usque ad nostra ævo multo evidenterem  
 factam, ac e tenebris erutam, assevero. Laudanda  
 apprime tot tantorumque Clarissimorum Virorum  
 præcipue Recentiorum industria & sedulitas, cum  
 omne studium multamque operam in nostram con-  
 tulerint artem, donec eandem reddiderint com-  
 pendiosam atque concinnam, adeo ut inmensam  
 vastamque morborum farraginem in certa genera,  
 species certasque distribuerint & diviserint classes,  
 ut jam nunc luculentiorem etiam nobis de iis for-  
 mare valeamus conceptum, modo vigil & attentus  
 præsto sit animus. Innotuit inde non exiguum fe-  
 brium genus quod consentiente tota schola medica  
 tres pathologiæ absolvat partes, adeo ut a plerisque  
 nostro ævo florentibus Doctissimis Viris morbus  
 universalis nuncupari soleat, quoniam multas con-  
 tineat species subalternas. Constitui mecum (con-  
 sensu *Gratiosa Facultatis medicae*, quo artis quasi ty-  
 rocinium ponam, & quid haec tenus tam ex ore  
 quam ex scriptis probatissimorum Observatorum  
 & fidelissimorum manuductorum solida instruc-  
 tione collegerim, tentaminis specimenisque inauguralis  
 loco aliqua ejusdem norficem) mentem meam de  
**FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS** *primo* patho-  
 logicè exponere. Cum autem pathologia medica  
 circa causas & rationes de morbis reddendas occu-  
 pata sit, ut hoc satis evidenter ac præclare pro mo-  
 re suo *Dn. D. ALBERTI Praeceptor ac Patronus meus*  
*mibi omni observantie cultu colendus, moderator hujus*  
*Differ-*

*Differat. inauguralis gravissimus in porbolog. sua pag. n<sup>o</sup>.  
§. 65. & sequ. monuit, ita & Antiquiores & Recen-*  
*tiores moniti universalis loco, in curationibus mor-*  
*borum medico solitarie admittendum esse, cui ægro-*  
*rūm valetudo cordi est, quo causam cuiusvis ma-*  
*lii inquirat; Hinc & ego pro ingenii mei modulo in*  
*evolutione harum febrium, causam earum allegare*  
*contendam, queis cognitis ac perspectis, sat mani-*  
*facta erit via. tum therapevtice procedere, congru-*  
*isque remediis easdem expugnare ac debellare, qui-*  
*bis sublati tollentur & effectus, præmonente hoc*  
*medicorum Cicerone CORN. CELSO. quod causæ mor-*  
*borum investigatio in affectionis & remediorum agnizio-*  
*nem nos deducat amplissimam. Quod dum in me su-*  
*scipere aggredior, Divini Numinis auxilium implo-*  
*ro, ut quod inchoavi in ejus Gloriam, Patriæ emo-*  
*lumentum, ægrotantiumque solamen prospere suc-*  
*cetar ac feliciter, eundemque, quem intendo, ad-*  
*ipiscar finem. Tu vero benevole Lector conatus*  
*meos quo æqui bonique facias, est, quod Te quam*  
*humanissime rogo.*

### THEISIS I.

Ad Rhombum transiens exactam Fe-  
 brium definitionem in limine ponere re-  
 cusavi, dum eadem jam jam varia fata ju-  
 diciaque diversorum Authorum Celeberrimi-  
 morum sustinuerit, ut unus febrim defi-

A 3 niat,

niat, quod sit spasmus universalis totius generis nervosi & vasculoſi, a causa materiali efficienter fuscitatus: alter vero auctum solidorum tonum contra illam materiam directum aetui huic febrili adscribat. Quum vero de his abunde satis in orbe litterario concelebratissimi Viri, ut *Ill. F R I D. HOFFMANN.* *Præceptor meus omni honore prosequendus in sua med. system. Tom. IV,* ita & *Ill. STAHLIUS in pluribus Dissert. suis de febribus, præsertim in Diff. de febrium rationali ratione amplam injecerint mentionem, hinc ego cogitabam abrum- pere filum orationis, meam detrectans fal- cem in alienam immittere messem, sed po- tius de causis febrium, quas pronunc fert occasio, mihi pertractandi est animus.*

## THESIS II.

Causæ a philosophis in quatuor di- dividuntur genera, nempe in efficientem, fina- lem, formalem, & materialem, quarum & priores relinquam intactas, maxime ta- men mihi sermo erit miscendus, de causis proxi-

proximis materialibus, & remotis antecedentibus, febrim allicientibus, ansamque ad causas materiales subministrantibus.

In his palmarium Therapiæ positum est fundamentum ut artifex materiæ peccantis indolem, genium, morbiique formalitatem exacte noscat, quo deinde hostem, cum quo natura tanquam hodegus suis præsertim rem habeat, quam perspicue intelligere, & quod sui denique est, cooperari, eundemque profligandum adjuvare possit.

### THEISIS III.

Febrium intermittentium variæ indicatæ quamvis fuerint ab Authoribus, quæ legi possunt in A. E. L. Mens. Maji pag. 308. de febri quintana, sextana intermitente, quales, cum rariores sint, omittere, eoque magis quæ ut plurimum in conspectum prodire solent, hoc loco tres tantum recensere placuit species, quotidianæ, tertianæ & quartanæ nomen ferentes.

A) Primæ sic dictæ *Quotidianæ* causam material proximam utpote cruditatem quandam seroso viscidam, in primis larentem viis (in quibus omnes febres intermittentes sedem punctumque captiunt fixum) dici posse existimo. Elucescit hæc qualitas serosoviscida ex eo maxime fundamento, quod hanc febrim, et si respe-

ctu

Quo aliarum rarius sit affectus, tametsi interdum contingat, phlegmatica ut plurimum occupaturam esse subjecta, observemus: sciscitor porro, cur haec magis huic obnoxii sint febri? omnino nullam aliam reddere valeo rationem, quam quod ex physiologicis certum statumque sit, phlegmaticos homines sero viscidis & pituitosis pollere humoribus: concludo hinc hos, propter pendulam & flaccidam solidarum constitutionem, fluidarumque partium crasim ac mixtionem, ad genesis mineralia ejusmodi febrilis illius ipsius plane farinæ producendam, esse aptissimos, ita ut ex levi causa concurrente, talis materia progigni, promoveri exaltarique possit, in his magis in aliis minus.

B) Secundam speciem *Tertiana* constituit, cuius materialem causam viscidam quandam interdum salino sulphuream, non vero tantopere tenacem, sed jam aliquatenus mobiliorem & semiconcoctam in ventriculo & duodeno hospitantem agnosco atque autumno. Liceat mihi hoc in affectu bilem quoque una cum aliis pravis materiis commixtam accusare peccantem, conciliando experientiam, quod tertiana etiamsi saepe numero eveniat in praxi medica, selecta tamen, modo non fuerit epidemica, invaserit subjecta, iisque fuerit familiarior, quales sunt homines cholericó melancholici indignabundi, nauseabundi, & iracundi: Et quod saepissime experiemur, ut post perpessam animi iracundam commotionem, vel febris biliosa acuta continua vel intermittens subsequatur tertiana, ideoque merito a Veteribus Febris intermittens biliosa fuit vocata vid. *Dan. Semnerii Lib.*

*Lib. de febribus pag. m. 765. edit. in folio.* Quapropter  
 hæc veterum dicta consensu variorum adhuc recentiorum approbo, in eo saltē mens mea veteribus una non  
 est, quod illi bilem plane ab aliis humoribus separatam  
 in imo ventre nidulantem, vellicantem, ac stimulantem,  
 ut demum necessitate illius ipsius materiæ febris hæc si-  
 at, censuerint. Alienam potius foveo opinionem, hanc  
 faburram biliosam cum aliis quoque tenacibus humoris  
 esse impactam, quæ deinde a natura salutari respe-  
 ctu febrili hoc purgatorio resolvitur motu, & ad excre-  
 tionem disponitur, non raro etiam legitime si decurrat  
 febris, intentus recuperatur finis, ut remittente frigo-  
 ris paroxysmo vomitus biliosus revera talis subsequatur,  
 euidem sat copiosus interdum, quo in passu quin re-  
 torsio duodeni, sub hac vehementiori facta commotione  
 febrili, ad largiorem bilis effluxum aliquid contribuerit,  
 non denego, sit ut sit hoc, in schemate febrili non in to-  
 tum bilis præsentiam abjudicare possum, quæ vero non  
 sola tamen sed semper cum aliis identidem viscidi scu-  
 lis complicata est materiis. De hujus asserti veritate plu-  
 ra sub tractatione causarum antecedentium erunt mo-  
 nenda.

C) Tertia jam prodit species & quidem intricissima *Quortanae* nomen gerens, cuius materialem cau-  
 sam totus medicorum cœtus spissæ mucidæ & tenaciissi-  
 mæ cujusdam qualitatis esse, quæ glutinis ad instar primis  
 viis ac eo spectantibus partibus, ut meseraicis glandulis he-  
 patilieni & pancreati adhæret, numerosius consentiet. Di-  
 stinguitur hæc causa a præcedentibus (1) ratione con-  
 sentientie, quod hæc visciditate sua densissima omnes alias

B

ante-

antecellat (2) *ratione loci*, dum illæ vel solitarie in ventriculo & duodeno intestino simul resideant, hæc vero in his non solum sed in omnibus fere abdominalibus visceribus moratur, suamque ludit tragediam. (3) *ratione subjectorum* hoc a morbo præcipue melancholicum quod infestetur temperamentum, sat palam est. Ulteriori probatione quoniam hæcce non indigeant, plura addere non placet, sed ad causarum antecedentium tractationem me accingam.

#### THEISIS IV.

Causarum antecedentium incumbit mihi nunc temporis consideratio, harum penum possem enarrare sat diffusum, ast brevitati studens, cum neque loci, neque temporis sit, compendio faciam, & aliqua solumento ex rebus non naturalibus desumpta ac prodeuntia vitia in apricum ducere contendam. In qua disquisitione duplex tamen mihi agitandum erit argumentum: *unum* quo demonstrem, quomodo hæ causæ interdum causas materiales, prius acsi angues sub herbis latentes, incitent. *alterum* quo evictum dem, quomodo hæ aliquando gignant tales causas materiales, & quasi genitoris ducant vices.

A) An.

A) An numero primo loco *Transpirationem impeditam*, de qua *Ill. & Cel. D. Stahl.* in peculiari egit dissertatione, & conciliari hoc loco merita, pro majori asserti mei firmitate. Hujus excretionis necessitas pro conservanda tota nostra cœconomia animali vitali neminem latebit, adeo ut indesinens ejusdem requiratur progressus, siquidem luculento testimonio cognitum perspectumque est, quod in corpore mixto varia talia apostasimata continuo scaturiant, quæ in ordinario incolumentatis statu hac expelluntur via, per consequens corpus inde a noxiis materiis exoneratur ac liberatur. Facile jam concludendum erit, quam periculosi sint extimescendi eventus, si hæc fuerit inhibita excretio, de quibus passim a fide dignissimis Observatoribus plurimis ut & in citata *Dissert. Cl. Stahlii* commemoratum. Notatu quoque dignum, quod in calidis regionibus sub crepusculo, seu imminente nocte, flantibus australibus ventis, (nam sub Zona calida noctes quamplurimum solent esse frigidæ) mos ille pessimus sit receptus, ut auræ huic frigidæ sese committant incolæ, & quasi ad summum bonum confugiant, dicentes: Nun wolten Sie sich ein bisgen abkühlen, es wäre bey Tag so warm gewesen, ignorant tamen, quanto illis cedat sanitatis dispendio; Corpus enim quod de die precedente solis æstu incaluit, adeoque perspirabile redditum, nunc frigori expositum subitaneam subit alterationem, inde fit subitanea humorum translatio a peripheria ad centrum, & hæ substantiæ recrementiæ ferme putridæ ad varias noxas, tormentina scilicet, colicas passiones, diarrhoeas, &c. anfam præbent, maxime vero, si ventre pleno hunc commit-

tant errorēm, cibique adhuc sub cena concoctū diffici-  
les, de quibus infra loquar, fuerint assumti, facillime  
tum efficacissimam cujuscunque febrium generis cau-  
sam habet præsentem.

B) Secundum membrum mihi instat trutinandum,  
scilicet *Aeris constitutio*. Nec hujus inevitabilis igno-  
tus erit usus, ut nullum animal vivum, quod respirare  
debet, eodem nisi ad paucissima momenta carere possit.  
Noto enim notius est, quod aëris nostrum constanter am-  
biat corpus, adeoque & illud transeat; Et sicut purus  
ficcusque aëris ad durabilitatem nostrā contribuit machinæ,  
ita vicissim impurus partes solidas & fluidas plane inver-  
tendi ac immutandi sat compos est. Hanc meam illu-  
strant sententiam morbi sic diciti epidemicī maligni, quo-  
rum tanta est efficacia, ut quandoque sæpe juxta Au-  
thorum animadversiones obruerint ac infestarint inte-  
gras civitates imo regiones. In quorum numero non  
acutas solummodo intelligo febres, sed adnotante *Ill. Fr.*  
*HOFFMANNO l.c. pag. 103. & sequ.* etiam intermittentes mali-  
gnas aliasq; mali moris quæ fuerunt grassatae. Interim e-  
pidemicæ afflictiones qualescunque sint, & quo cunque  
tempore obtingant, quia semper contagio stipatae, omni-  
no natales suos quod habeant ab aëris præternaturali  
statu insolitaque constitutione, concedere debemus. Hæc  
vero aëris intemperies iterum suum fortitum instium,  
PRIMO ex diversis tempestatum atque anni temporum  
mutationibus, de quibus *Hippocrat.* magnus ille observa-  
tor suo jam tempore uberrimam in *Apborismis suis seq.*  
*III.* inject mentionem. SECUNDO potest aëris viti-  
um

um incunabula sua habere , ab ipsa regionis qualitate ,  
 quales sunt illæ quæ situs declivioris sunt civitates paludi-  
 busque cinetæ , aut talia loca quæ ad boream vergunt ,  
 in iis nimirum tractibus aër frigidus & humidus efficit ,  
 ut hæ febres ibidem præ aliis familiarius suum struant  
 territorium . Neque *a priori* habemus , ut hac de re am-  
 bigamus , dum ex physicis edocti simus , quod aër cor-  
 pus sit elasticum , quam elasticitatem suam ex parte de-  
 bet aquositatibus undiquaque in eundem translatis . Et  
 quamvis aëris essentiam , ut & aliorum elementorum esse  
 nostrum fugiat captum ( de quo themate *Dn. ALBERTI*  
*in sua med. system. Tom. III. pag. 118.* ubi de principiis  
 & qualitatibus rerum materialium agit , quam accuratissimo  
 & evidentissimo spicilegio quoque differuit ) jure  
 tamen meritoque dici potest , quod aër sit omnium sub-  
 stanciarum evaporabilium in globo terraquo existentium  
 quoddam receptaculum . Pensitemus enim , quanti non  
 quotidie ex lignis combustis , flaviis , rivulis , lacubusque  
 exhalant vapores , quot non ex animalibus in putredine  
 resolutis , ex stagnis corruptis , item ex vegetabilibus  
 grave & suaveolentibus nonnunquam in distans e-  
 missa effluvia odore percipimus ? hos respectus omnes  
 quando consideramus , profecto minus adæquate admit-  
 teremus , hos in nihilum reverti , ratio , quia eosdem  
 oculis percipere manibusque palpare nequeamus , irritæ  
 certe hallucinationes essent . In facto verum est , quod  
 vapores & exhalationes in rerum natura dentur , sed quo  
 devenirent alias ? si non in aërem tanquam subtile quod-  
 dam reciperentur , qui deinde peregrinis suis particulis  
 atmosphærā replent , eandemque contaminant , ac

B 3.

desc.

descendant, & quia macrocosmus cum microcosmo convenienti connubio conspirat, non aliter esse potest, quam illæ eadem alterationes & metamorphoses, quales in illo, tales identidem in hoc per contactum physicum necessario producantur, & sicuti motus aëris fluuatorius liberior ab his alienis confestim affluentibus confestim turbatur, similes plane confusiones in homine suscitantur, ut motus ille principalissimus absolute vitalis, quem tonicum appellamus, offendatur, maxime in subjectis animo sensibilibus, ubi momentaneæ sub levissima etiam affectione extranea tonus (quia hic & sensus perpetuam habent harmoniam) alteretur, ex motus hujus læsione inde dependens motus humorum progressivus impeditur, & consequenter debitæ se- & excretiones retardantur, impuritates colliguntur, unde heterogeneitatis, mixtioni animali inimicæ, remanent, & futuram sanitatis labem inducunt. Ex dictis innotuisse judico, qua ratione aër quoque incitamentum administrare posset, ad febrium intermittentium genealogiam.

C) Victus rationem quoque ponderare oportet, primo quoad quantitatem, ne quid nimis ingeratur aut alimentis obruatur ventriculus, lex est diætetica. Nam stomachum epularum multitudo aggravat & onerat, quo onere insolitoque pondere flaccefiunt fibræ, ex hac flaccescientia tonus ventriculi amittitur, languente tono seu proprio motu peristaltico dicto nunquam legitima esculentorum concoctio fieri poterit, ex hac depravata digestione nulla ciborum debita resolutio, subactio, putrefactio,

rorum ab impuris sequestratio, ac excretio sequetur, &  
 quidni haec substantia impura retentæ varias adversas in-  
 dicunt formas, ut multiplicita inde exsurgent mala. Ne-  
 que judicent aliqui, quia bene appetunt bene ingerunt  
 & bene digerunt, quod nimia ingluvies sit vilipendien-  
 da, & quod sine ullo sanitatis detimento perferre pos-  
 sint in cibo & potu excessum, secundum germanos:  
 Sie hätten einen guten Magen, Sie könnten schon viel  
 vertragen: atramen hoc privilegium neutquam habent,  
 nam his omnibus bene præmissis, postea ac si pedem pe-  
 de urget larga chylificatio, quae chyli copia sanguini-  
 sis quoque abundantiam causatur, ex hac iterum in orio-  
 sis præsertim subjectis spissitudo sanguinis producitur,  
 qua præsente circulus humorum & inde profluentes se  
 & excretiones retardantur, variaque craseos vitia intro-  
 ducentur. Ex his omnibus tanquam ex scatebris & fon-  
 tibus, quoniam egesta non respondent ingestis multi-  
 plices emanant passiones. Rem acu tetigisse videtur Cl.  
 STAHL. dum plethoram sufficientem morborum cau-  
 sam monstravit, saltem scrutari debemus hoc loco, quod  
 eidem Auctori sat inique ab aliquibus imputetur, quasi  
 nullam aliam causam in medium proferre valeat præter  
 plerorū; memini profecto fidelissimæ ac veræ Theo-  
 riæ instructionis Excell. Dn. ALBERTI, sicubi nobis se-  
 pe inculcavit mentem Cl. STAHLII, quod Ille pletho-  
 ram mox proximam, alibi vero remotam, imo aliquan-  
 do remotissimam, nusquam vero illam universalem omni-  
 um morborum causam, nisi multarum affectionum ma-  
 trem declarat, qui posterior fidus STAHLII interpres  
 in *Diff. de morborum consensu* sat solide demonstravit,  
 quod

quod in tota suppelle<sup>t</sup>ili causarum nulla uslibi occurrat,  
 quæ tot morbos generet, & connectat, quam hæc ple-  
 thora: Et hæc siat in parenthesi de quantitate ciborum di-  
 eta. De qualitatibus escarum, ut jam verba faciam no-  
 tamque quæ ex illis afferatur ostendam, hæc est, scilicet  
 ingesta si fuerint spissa, cruda, crassa nimis, & cor-  
 coctu difficultia, quæ sunt infumatae carnes, item legu-  
 minosa, lacticinia, præsente in primis viis acido, af-  
 sumta, nec non pinguia nimium, aromatica spirituosa, quæ  
 ad multam apta sunt procreandam bilem, maxime vero  
 pisces & fructus varii generis de mucilagineo terrestri  
 participantes principio; Hæc omnia sufficientem facillime  
 possunt relinquere materiam, pro somite constituen-  
 do febrili. Neque fugiunt me certæ quædam fructu-  
 um species, nomine citrulli, & pepones, copiose in  
 patria nostra occurrentes, quorum usus (præcipue pe-  
 ponum, qui revera quidquam balsamicum, quod ex sa-  
 pore constat, continent) non innoxius solum, sed &  
 medicus quod sit, afferere non erubesco, etenim inest  
 substantia quædam humida, & aquosa tenuis, quod  
 euidam calido, quale nostrum est, climati poterit refri-  
 gerii loco inservire, orgasmumque humorum, ab ex-  
 terno calore solari suscitatum, contemperare, modo  
 iis quoque modice & medice fuerimus usi. Ast sicut  
 omne nimium, ita & horum abusus vertitur in vitium,  
 imprimis si ad hos adhuc vel ad alios male qualificatos  
 cibos, feculenta, vel lutulenta, ex paludibus desumpta  
 aqua superbibatur, sic febres fuisse subortas sexcenties  
 exploratum est. Hoc phænomenon non caret ra-  
 tione physico-medica, nam si dilucide elementa ha-  
 rum

rum palustrium aquarum considerem, & ad examen du-  
 cam, tum dijudicabimus, quod complectantur ejusmodi  
 aquæ diversas particulas heterogeneas, salino - sulphureas,  
 pingues & mucilaginosas, quoniam autem non vacet suo  
 fluido universalis elastico, hinc æstate, regnante sirio, aër  
 atmosphæricus, calore agitatus, agit in fluidum illud, tan-  
 quam in substantiam sibi symbolicam, & elasticam, hæc  
 aqua rarefacta agit in pingue sulphureo salinum, hoc  
 sulphur, qua subiectum agilissimum, assumit hanc com-  
 motionem, indeque producitur, & suppeditatur intesti-  
 nus motus, hocce motu & modo, hæc aquæ, tam quo  
 ad crasis, quam consistentiam, seu potius mixtionem,  
 destruuntur, & corrumpuntur. Indagatis harum aqua-  
 rum principiis, per parabolam argumentor, cum omni-  
 bus artis salutaris gnaris extra dubitationis aleam posi-  
 tum sit, quod, si miasma aliquod subtile putredinosum  
 ( id est, quod motu suo fermentativo præcocem minetur  
 dissolutionem ) liquidis seu massæ humorum fuerit in-  
 sinuatum, acutæ exinde malignæ subnascantur febres,  
 nonni etiam concludere licebit? quod ex eodem funda-  
 mento similes semi putridæ aquæ, ore ingurgitatae, &  
 ad primas vias delatae, quarum locus antehac jam sor-  
 dibus fuerit repletus, massæ cibariæ dyspeptæ ibidem  
 innidulanti eundem fere intestinum & fermentativum,  
 licet non tantopere præcocem, sed tantum lenem con-  
 ciliare valeant motum, a quo concoctionis & chylifica-  
 tionis negotium perturbatur, unde cruditates progignun-  
 tur, quæ tenuissimos meatus occludunt, & excretio-  
 num retardant successum, ex quibus dein, si non  
 causa materialis ut talis, profecto largus stimulus

C

ad

ad intermitentes nascitur febres, donec in subjectis dis-  
spositis ipsum schema febrile inclarescat. Evidens igitur  
elucecit ratio, cur & qua propter hic morbus non  
regionibus & provinciis duntaxat, verum & nonnullis  
civitatibus observetur endemius. Oculatus testis sum  
quod in Hungaria haud incelebres illæ urbes Temesva-  
rinum & Belgradinum carumque confinia febres adeo  
communes habeant, ut nec unicum annum incolæ tran-  
figant immunem. Harum causam eruendi facilis instat  
occasio, ut noscamus situm loci, constat enim Temesva-  
rinum totum pene paludibus esse circum cinctum, con-  
sequenter aquis gaudens corruptis, ita & Belgradinum,  
quod paludum quidem expers, sed duplice fluvio Danu-  
bio & Savo a tribus partibus circumdate existit, ni-  
hilominus tamen in puteis ac fontibus viscosæ limosæ  
offenduntur aquæ, secundo accedit torrida his terris in-  
cubans æstas, tercio annonæ laxitas, utilitas, atque far-  
rago, quas fertile hoc solum sub Divina benedictione  
producit, cum autem his abutuntur aliqui, hinc ex su-  
pra dictis rationibus non aliter esse potest, quam ut ne-  
cessario nullus præterlabatur annus, quin a Februario  
lue & flagello castigentur indigenæ.

## THEsis V.

Sufficiat hæc dixisse de causis materiali-  
bus proximis & remotis, qua generaliori-  
bus & principalioribus, possem adhuc an-  
tecedentibus addere plures, qui vero super-  
vaca-

vacaneus mihi esse labor videtur, cum eam  
rum in aliis medicis uominibus partim  
jam mentio facta, partim etiam melius ab  
ægris ipsis certiores fiamus, causarum igitur  
tractationem claudio.

Obstat mihi sub epilogo adhuc contemplandum,  
quomodo hæ recensitæ causæ effienter tamen febrim  
haud construant omnibus in individuis, sed cardo vertitur  
in sensibilitate personali, & quo sensibilior est homo, eo  
facilius ex dictis incitamentis ruere potest in febrem, ne-  
que credamus, quod illis positis, mox ponatur & mor-  
bus, quotidiana nos docet experientia contrarium, quod  
interdum & epidemice & sporadicæ grassentur intermit-  
tententes, ubi vigorosa sepe offenduntur subjecta, quæ  
spontanea autocratia post largos in dieta commissos er-  
rores, indeque facta collectanea mature per peculiares  
emunctoriorum vias v. g. per vomitum, diarrheam &c.  
eliminant ac propellunt, manifesto cum crinomeno,  
quod causæ materiales, etiamsi præviæ fuerint (quæ  
systema nervosum vellicando, stimulando ex necessitate  
physica febres absolute provocare potuissent) nihilomi-  
nis tamen æquiparant factis activam talium hominum  
naturam conservatricem, quæ præmunitum quasi  
struxit, machinamque corruptibilem a substantiis recre-  
mentitiis liberavit. Oppositum viciissim momentum  
quando dispiciamus, scilicet periodicas febres, quibus  
cum alii annuatim, aut certis temporibus statari insfe-  
stari solent, ubi levissima causa materialis in similibus

C2

per-

personis capax est assuefactos illos febriles alliciendi motus. Hi duo respectus me hercule sōnticæ & altioris sunt indaginis, quos, præcipue dum *confuetudo* sub censum rerum non naturalium quoque veniat, præterire nequivi, quin de illis adjecerim mentionem.

## THEISIS VI.

Quæritur jam, quæ sit PERTINACIÆ RATIO? cur hæ febres tam obstinatæ pervicacesque sint? ut in longius plerumque protrahantur tempus.

A) Ad hujus decisionem erit commendabile, quo in memoriam revocem ea, quæ partim supra de indole causarum prælibavi, quot intermitentes, tot quoque dispares subesse causas materiales specificas, in eo tamen convenire omnes, quod ubique quoddam viscidum inclusum cumque aliis coniunctum sit materia, nulla febris specie excepta, quod viscidum non in humoribus, sed in organis primarum viarum se & excretoriis intimius focium suum habet constitutum, quare diuturniorem requirit moram, quo debite resolvi, & mobilis successive illa reddi possit materia, denique in totum ex sede sua extirpari. Hinc quo majori eadem peccans materia pollet tenacitate, eo difficilior itidem speranda absolutio, eaque propter in tertiana legitima ubi causa morbifica non nimis lenta & viscida est, citior exitus morbi, medium locum tenere *quotidianam*, omnium vero contumacissimam esse *quartanam* annotabitur.

B) Præ-

B) Præterea attentionem requirunt intermitentes  
*compositæ sive irregulares erraticæ*, quæ typum suum  
 minus habent æqualem, ut mox ante, mox post meridiem,  
 mox vespertino tempore, paroxysmi accessio in-  
 gruat, tales febres communiter immorigeræ sunt indo-  
 lis, & oriuntur in iis subjectis, quæ ejusdem quoque  
 immorigeri ex parte sunt animi, conf. Dn. D. ALBERTI  
*Diss. eruditissima de morum & morborum consensu*, in qua  
 non sine magno applausu comprobavit Cl. *Auctor*, quod  
 homines in morboſo ſeſe ac in sanitatis ſtatu gerere fo-  
 leant. Testimonium perhibent hoc in paſſu cholericī,  
 maxime propendentes in tertianam, quæ inter omnes a-  
 lias intermitentes, quoad strenuam activitatem, pal-  
 pam præripit, ita ut *Hippocr.* jam in ſect. IV. *Apbor.*  
 LIX. quod tertiana exquisita ſeptenis circuitibus, quod  
 longiſſimum eſt, judicetur, obſervaverit. Enim vero  
 hic aphorismus cum grano ſalis eſt accipiendoſus, quod  
 prudens ille ſenex ſub hac voce *exquisita* ſubintellexit  
 legitimam, non turbatam tertianam; Nam ſi perverseſe  
 traetetur & per mala regimina, praecipue per animi pathe-  
 mata (vid. infra ſub Lit. D. N. (Z) ubi de regimine dia-  
 tetico agam) processus febrilis turbetur, facile tum &  
 hæc chronicam induet larvam. Vicifſim vero quotidiani-  
 am, eoque magis quartanam, ſi cogitatione comple-  
 star, quarum illa phlegmatica, hæc melancholica obſi-  
 det ſubjecta, hinc in quotidiana negotium febrile torpi-  
 de & negligentius, in quartana vero, ob morofitatem  
 ſpecialem, indignationemque internam, impatienter &  
 refractarie procedit. Ratum ideoque habemus, quid ho-  
 minum mores ad pertinaciam intermittentium contribue-  
 re poſſint.

C 3

C) Si-

C) Sisto casum quandam medicum mihi benignum ab Experientissimo *Dn. Prof. JUNKERO Patrono arque Præceptore pio animi cultu devenerando communicatum*, sequentis tenoris: studiosus Theolog. ætate XXII annorum, per semestre spatium quotidie corripiebatur febri, quotidianam intermittentem ( quoad diurnum recursum, veram talem, non vero quoad ingruendi tempus pomeridianum, quod quartanæ familiarius obvenit, ) simulante. Post enim meridiem accedebat frigus duarum circiter horarum, deinde insignis sequebatur æstus, qui jam sex jam octo horas continuabat, donec tandem sudor satis notabilis paroxysmum solveret. Quotquot medicorum in consilium & auxilium vocabantur, omnes unanimiter hanc febrem pro quotidiana declarabant intermittente, quamvis autem & congruentia remedia & rationalem methodum multum & diu adhibuissent, tantum tamen absuit, quin huic febri aliquid detraxissent, sed potius singulis pene diebus majora incrementa, & symptomatum ostendebat exacerbationes. Que res ultimum denique medicum scil. *Dn. Pr. JUNKERUM* eo perduxit, ut de simplici intermittentis indole dubitaret, & post innumeras fere quæstiones rerumque antecedentium evolutionem, tandem audivit, hunc ægrum brevi ante febris invasionem hæmoptysi, eaque non mediocri, laborasse. Hæc enarratio & notitia indicio fuit, prægressam hæmoptysin apparenter tantum sanatam, per consequens læsionem & exulcerationem pulmonum fuisse relictam, conclusit porro, quia ægrum viribus exhaustum, aliaque signa conspicerit, rem esse conclamatam, quæ prognosis, per paucam abhinc moram, immi-

imminente æquinoctio Autumnali, lethali confirmabatur eventu. Hoc allatum exemplum nobis est documento, quod occultæ causæ, quæ nostrum fugiant captum, quandoque præsto sint, schema quasi intermittentium exhibentes, licet revera tales haud sint, saltem mentiuntur ejusmodi febribus. Quare artifex omnia sua in cassum adhibebit remedia, febrisque pertinax ac obfirmata perseverabit. Et quanquam occurrant casus rarissimi quorum similis legi in doctissima Dissertatione a Cl. Dn. Pr. ac Præceptore meo SCHULZIO conscripta de quartana duplice cum hemicrania feliciter curato, interim a minori ad majus non valet argumentatio, nam ibidem affectus primarius, scilicet hemicrania, per stillicidium narium fuit sublata, ubi vero hoc non contingat, omnino intermittentes non tam cito judicabuntur, quia labes interna admodum tacite insit, qua præsente, morbus quoque secundarius non desistet, vid. Diff. citata. f. 7. & 12.

D ) Ultimo non absolum fore arbitror, si perversum directorium, tam pharmaceuticum, quam diaeticum, hic loci arcessere admittat, qua via modoque ex his duobus gravior intermittentium acerbitas propulbare queat.

Ad primum scilicet ad Reginem Pharmaceuticum quod attiner, ibidem dicta volo remedia iheroica, qualia irrationalis circumforanei, balneatores, & plures hujus coimmatis medicastri, quam plurimum proh dolor! in sumnum corporis sanabilis dispendium, imo plane in vita periculum, sibi semper in usu habere non abhor-

abhorrescent, confugiendo mox ad cathartico emetica, sudorifera, adstringentia, velut ad sacram anchoram, nescientes, quod pharmacorum non sint absolutae sed relativae vires i. e. relationem habere ad illa individua, quae eorum recipientia sunt, quamobrem pro diversitate subjectorum, diversos quoque aliquando noxios imo funestos edunt effectus. Ne vero mihi injuria inferatur, quasi remediis facultates suas abnegare conarer, nullo modo mens ea eousque extensa est, placuit tantum illud significare, quod ex ore *Cl. Praeceptorum* meorum multoties moniti universalis loco audiverim, ut in medicamentorum oblatione, corporum vires cum pharmacorum facultatibus sollicite comparemus, qui canon esse magni videtur momenti e. g.

I) Notissimum est, in intermittentibus, ubi se des mali in primis existit viis, rationi consentaneum censetur, per proximam viam mediante *Vomitorio* illum hostem infensum evacuare, ast si opportunum tempus negletum, malumque intimius radicatum fuerit, sic exhibita emetica, quae semper agunt spasio, primas vias recludent, causam morbificam profundius intropellent, adeoque deteriorabitur magis, quod prius malum, ut nunc in pejus ruat. secundo, dantur etiam subjecta evenata, & dyssemata, vel quae ex mala dispositione corporis ut herniosa &c. vel ex sensibilitate personali singulari, quia in hyperemeses facile ingruant, minus apta sunt ad vomitum subeundum, quos respectus probe cognoscere debet rationalis Therapevta.

II) Illud idem dictum valet de *Sudoriferis*, quae ut uni-

universalia in omni febrium genere notissima sunt inter Medicos, dum nulla febris curari potuit, nisi sudor prægressus fuerit, & sane exquisitissima essent, his in morbis præcipue, medicamenta, sive in eorum collatione committeretur abusus. Evidem motum illum saluberrimum naturæque magis amicum a centro ad peripheriam promovent, adeoque lenem transpirationem invitant, maxime vero diaapoica, quæ placidam ephidhrofis conciliant, nunquam noxia, sed semper salutaria sunt censenda. Cautissime tamen Medicus cum positivis sic dictis bezoardicis procedat, monendumque Hippocratis præ oculis habeat, qui Coac. in pueror. Text. 163. dixit: sudores sensim procedentes juvant, vehementes nocent. Ubi præmeditatus est ille senex vehementes illos sudores, id est, impetuosoſ & impulsivoſ, cum talibus alexipharmacis fuscitatoſ, quod non rœſolvant fluida, ſed eo magis ab iis calefacientibus, facta commotione expansiva, infiſſari & coagulari humores, ut deinde in plethoricis aut ſpiſſitudine ſanguinis præditis, facile stagnationes vel ſtaſes hinc inde in partibus emerant, quippe cum crebra teſtetur experientia, quod tertianæ vel quartanæ continuæ aut compositæ ex acuta periodo inde oriāntur febres. His annumerio.

III.) Adstringentia, in quorum conſideratione neque non millenas illas clades ac trucidationes, ab incongrua & præmatura eorundem applicatione institutas, lugere debebimus. Ut taceam de illis, ex principio fixiori terrestri aucteroque acido conſistentibus remedii, quæ repente fiftunt motum febrilem, & subi-

D

tane-

taneam coarctationem partium vasculosarum & tubulosarum inducunt, qualia semper infida, noxia, & mortem accelerantia ego cum aliis aestimo, loquor saltem de famigeratissimo ex America ad Europeos ante LXXX circiter annos transportato cortice Peruviano s. Chin. de China dicto, de cuius ineffabili febrisfuga in intermittentibus efficacia BARTHOLINUS Cent. V. biflor. 50. hoc novo invento ultra mille tum temporis quartana anno 1653. epidemica correptos, fuisse curatos, magnifice loquebatur, alii denique Medici se se de mirificis, quos cum hoc cortice in immedicabilibus intermittentibus praestitissent, effectibus insolentius jastrabant. Ortus itaque hujus corticis sat splendidus erat, ut tanquam specificum exoptatissimum, ac eutissimum in his febribus a quolibet fuerit arreptus, paulo tamen post evilescere cœpit hujus præsidii dignitas, ejusdemque splendor per tristia quadam exempla obfuscatus fuit, cum in certis subjectis & locis non semel sed pluribus vicibus comprobatum innotuerit, post ejus usum pertinacissimas quoque viscerum & alvi obstructiones, scirrhos, pathemata hypochondriaca, cachexiam, hydrope, vel hecstanam fuisse subsecutam, hinc non defuerunt oppido multi antecessores & hodierni adhuc viventes Medici, qui hujus corticis promiscuum usum improbarunt, ac rejecerunt. Illum enim sub scrutinio chimico examinarunt pluribus acerbis, copiosioribus terreis paucioribusque resinosis elementis constantem, quibus cognitis, certiores demum facti, dum plus insit terræ & acidi quam resinæ cur vi adstrictoria præpolleat hic cortex balsamica, quæ de illo prædicatur virtute. Ex hoc

hoc fundamento de recto Corticis chinæ usu erant solliciti, variasque, ne præpostere, ac intempestive adhibeatur, tradidere cautions. Inter alios florentes nostro ævo fide dignos probatosque praticos de sinistris effeßibus ex malo hujus corticis usu redundantibus III.  
*Dn. STAHLIUS ejusdemque fidi Asseclæ varias cautelas observationesque in lucem ediderunt, non autem in opprobrium hujus corticis, sparsim enim in scriptis revera Stahlianis commendatur potius hic cortex in fine febrium, i.e. expurgata prius causa proxima materiali tandem conducere adstringentia coniuncto sufficienti motu & potu, parca dosi, una cum salibus sumta, adstruit, nusquam vero ille Cl. Vir sedulusque obſervator rejicit plenarium hujus Chinæ de chin. usum uti ab adverſariis seu antagoniſtis suis Eadem male adscribitur. Evidem vult, & docuit, ut non ſolum hunc corticem, ſed & alia quo quot ſunt adstringentia ſelectiſima, etiam martialia aut plane omittamus, vel dum ea recipimus, attentiores, cautiiores, ac magis circumſpecti ſimus, quo deliberato animo convenienti tempore, ordine, ac dosi, eadem usurpemus: Genuinum hunc ſenſum Cel. *Dn. STAHLII*, quem non torquere & interpolare debemus, eo magis pro corroboranda mea ſententia recte interpretando explanare hoc loco non nefas fuit. Ex dictis ſpero fore ut judicari queat quid ex parte fontis Pharmaceutici ad cervicariam intermittentium indolem conferatur, ne vero mihi quæcunque haec tenus de triplici heroicorum genere protulerim, viatio vertantur, etiam atque etiam rogo. Lubens conſiteor, me ipsum, ſub amica ſinceraque manu ductione*

dilectissimi nunc pie defuncti Domini Avi mei *Marcii MAYER*  
*Med. Doct. studiorum meorum Fundatoris & Parentis in-*  
*star pia memoria devenerandi expertum pluries fuisse*  
*quidnam hæc remedia præcipue Cort. Chin. in inter-*  
*mittentibus possit & quantas salutares largiatur vires,*  
*nihilominus tamen eundem & reliquas heroicorum spe-*  
*cies ab aliis imperitis empirice & imprudenter usitatas*  
*summo fuisse damno, insimul cognovi. Ea propter*  
*non potui non, horum abusum allegare, quamvis eo-*  
*rundem legitimum usum, habito respectu supradicta-*  
*rum circumstantiarum in- & contraindicantium nullo*  
*modo abnegaverim.*

Iam pauca quædam *ex Diæretico fonte adhuc ex-*  
*hauriām, indicis loco, quid obfit, regimen hoc si füe-*  
*rit neglegētum, ut intermitentes deinde cedere respu-*  
*ant, aut si cesserint cur recidiva haud difficulter in pro-*  
*clivi sit. In cujus tractatione mittam ambages, quum*  
*supra jam ex parte hujus etiam non fuerim immemor,*  
*aliqua tamen repetitionis gratia, cum B. L. venia, attin-*  
*gam, quo intuitu occurrit.*

I.) Voracitas nimia de qua *Ill. Dn. STAHLIUS in*  
*Diss. de Febri Tertiana pag. 26. sic scribit: frequens ea-*  
*men in tali constitutione est peculiaris edacitas, unde et*  
*iam plebi specialiter Fres- Fieber appellari audias, atque*  
*de diurnitate quasi certo præfigio suspectas esse. Gra-*  
*ves utplurimum ægri committunt errores, in detrimen-*  
*tum sui ipsius, qui normam in cibo & potu etiam su-*  
*perato morbo transcendunt. Cum enim eorum primæ*  
*viae a precedentibus spasmis debilitate adeoque suo of-*  
*ficio ut fungantur minus capaces redditæ fuerint, pro-*  
*pria*

pria culpa sibi novum accersunt morbum, cui deinceps multum temporis impertire cogantur vid. Ill. Dn. HOFFMANN. l. c. pag. 61. f. 22. ita Cl. Dn. JUNKERUS in conspect. Med. Tabul. LXXIX de febri tertiana sub prognosi 12. & 13. germanico idiomate expressit: Fieß - Fieber halten lang an, sie haben volle Nahrung, quare ægri, qui citius liberari a sua cruce cupiunt, omni studio ac opera hoc vitium evitare intendant.

II.) Eo minus infirmi sibi de salute sui considunt, qui animi pattematum nullam habent rationem, maxime vero iram sin prudentiae fræno inhibeant, nam si qui certe illi sunt morbi ominosi & diurni, qui vel ex ideali moralique causa originem capessiverunt, vel qui sub statu morbi per eandem alterantur & invertuntur, cuius exemplum observavi in quodam Viro temperamenti cholericò-melancholici, habitus corporis robustioris & strictrioris, vasa habente majora, qui post præcedentem animi excandescientiam, febri infestus fuit tertiana, non simplicem, sed continuam æmulante, ita ut in initio morbi veram subesse acutam, fuerit suspicatum, ast post octiduum determinavit se in veram simplicem tertianam intermittentem, typice recurrentem, commissus tum fuit æger cuidam magni cum omni no-minis Practico hujus loci, qui eundem morbidum tractavit qua par est idonea methodo per unum circiter mensem, jam spes pleiariae in integrum restitutionis assulfit, novus & alijs recurrit paroxysmus, & quidem quotidianus, ita ut frigus accesserit circa prandium, absolutum frigus excipiebat calor, sub quo æstu aliquoties delirantem vidi ægrotum: Cum autem hu-

ius novi morbi causam inquisiverim, nil specialiter nisi quod ex ore adstantium audivi conquerentium: Der patient wäre so verdrießlich, er ärgere sich über alle Kleidigkeiten, ex qua relatione in instanti potuit formari conclusio, quia morbus antecedens primarius suum traxit initium ab iracunda commotione, sic necessario in hoc individuo choleric - melancholico (quod temperamentum iram diu fovere solet) interna quædam indignatio adhuc clangulo intercurrere deberet, quæ quotidie ad huc ad novam invasionem febrilem præbuerit ansam. Quod etiam palam factum, ut annotante illo Medico motus hos febriles, ex perversa idea prodeunt, in hoc subjecto esse erroneous, sic, præmissa abstersione, leniorique per Salia aperitiva evacuatione, Electuario quodam fuerit usus febrifugo, sicce spatio trium dieram convaluit æger, & liberatus a sua per decem hebdomadas premente febri. Historia hujus morbi nobis notitiam porrigit, ut confirmemur in hoc dogmate, scil. earum affectionum, quæ magis ab animo sustentantur, indeolem esse intricatissimam. Vitia animi materialia facilius arti obtemperant, ubi vero morbi origo & scatebra ex interna causa existat, sui quasi juris sunt, talesque, ob pertinaciam suam, scandala Medicorum nuncupandos concedo.

III.) Eo pertinent quoque *excreta* necessaria suppressa, qualia sunt e.g. alvi sudorisque retentio. Nam in omni febrium genere, & præcipue in intermittentibus alvum esse lubricam, sudoremque in tertiana semper, ita & in quotidiana saepius finito caloris paroxysmo spontanee per lysin aliquam contingere oportet.

Qua-

Quare quo segnior harum excretionum successus, eo tardior quoque præfigiendus est morbi eventus.

IV.) Porro non minus suffragium suppeditat *motus corporis* neglectus. Motum esse medicinam corporis omnibus Medicis idem est animus, ut non promulgare satis valeant prolychrestam ejus virtutem, præservandi, conservandi, imo redintegrandi etiam sanitatem amissam in chronicis maxime afflictionibus: Ideo quod valet de toto, valet & de ejus parte, magnamque motui voluntario inesse efficaciam, ad chronicarum febrium medelam, dicere non vereor, teste plebejo consilio, & auxilio, cuivis rustico non ignoto, ut febricitantes eodem die, quando paroxysmi accessionem habere solent, quem vocant: den bösen Tag, per localem corporis motum aliquoties præoccupent suos paroxysmos, vel jam imminentे frigore adhuc hinc inde cūsident, donec sensum contusionis in membris percipient, reduces ac lectum petentes in sudorem incurront, paulo vegetiorem, quasi criticum, dum nonnunquam una vice vel repetitum ejusmodi corporis exercitii usum cūtius ac tutius ( cæteris paribus ) a malis suis vindicantur, quam delicatulae atque otio deditæ personæ. Et sane me inducit ad hanc considerationem ipsius etiam rectæ rationis *a priori* probabilitas, cum a motu corporis organorum tonus non solum intendatur, verum & per concussionem conquassationemque partium etiam fluidarum attenuatio & mobilitas proritetur, aucto humorum motu progressivo, se- & excretiones quoque promoteantur, consequenter debitæ abstensiones per organa colatoria adjuventur, & sic quod morbificum s. me-

melius morbidum in corpore nostro, promptius ad evacuationem deducitur. Ex contrario *nimia quies* laedit proportionem humorum ad motum omnesque functiones reddit debiliores hebetes & ignavas. Perspeximus igitur, qualiter ex parte sedentariae vita pertinacia febrium intermittentium sustentetur, quum propter eandem causa materialis, quia colliquari & resolvi nequeat, intimitatem altioremque capiat radicem adeousque eandem amplificabit, morbique scenam diuturnitate adornabit.

Atque sic clarissime determinata ut spero causarum pertinaciæque rationis meditatione, obvium est practicum perpendere usum, & ne otiosus pathologus spectator videar, paucis verum subjungam modum, tollendi hunc morbum ex fundamento.

## THEISIS VII.

Qui genuinam Febrium intermittentium curationem vult recto tramite attingere, proximavia eo pertinet, si prius naturæ medendi methodum (id est causam formalem aliis sic dictam) bene ac deliberate cognoverit, qua encheirisi, via, quo ordine, ac singulari modo illa, causas morborum extirpare, sanitatemque labefactatam non raro restituere soleat. Cognita hac indicatione Artifex deinde suas in mendendo leges colligere, suaque indicata legitime adhibere poterit.

Hu-

Hujusce Theseos meæ scholion fulcio, rimando, in-  
 gruente paroxysmi tempore in his triplicibus febribus u-  
 num eundemque actum quidem ac prælusionem, pro di-  
 versitate cause materialis saltem ratione temporis gradu-  
 que differentem. Videlicet in *Tertiana* accessione sat ve-  
 hemens rigor, ultra dimidiā horam vero ad summum  
 non perdurans, observatur: In *quotidiana* initiante fri-  
 gus etiam validum, non autem tantus rigor ac in *tertiana*  
 præsto est, & communiter per horæ spatum persistit, ast in  
*quartana* levissimus incipit horror, eo diutius imo sem-  
 per ferme per bihorium perseverat. Discrepant itaque  
 ratione magis & minus, indifferentes tamen sunt hæ fe-  
 bres hoc in passu, quod omnium primario *Paroxysmus*  
*frigoris* sese repræsentet, cuius paroxysmi formalis ratio  
 est sanguinis seu humorum restrictio a peripheria ad cen-  
 trum, quo facto, crux retractus ad oppilatos tubulos ob-  
 sessaque cum faburra quadam abdominis viscera appellati-  
 tur, hoc appulsi tenax illud in primis viis inexistens visci-  
 dum emollitur, diluitur, & ad excretionem aptatur, qua  
 dispositione & præparatione perfecta, in *tertiana* præci-  
 pue, nec raro in *quotidiana* (nunquam vero in *quartana*,  
 quia ejus causa materialis acidoviscida glutinosique teno-  
 ris est) sponte sequitur vomitus vel alvi fluxus. Re-  
 mittente frigore accedit *Caloris paroxysmus*, quo præ-  
 sente denuo succorum fit impulsus in peripheriam, ve-  
 getiorque humorum transitus per partes fibroso-muscu-  
 losas, superficies cutanea, antea constricta, laxatur, po-  
 ri adaperiuntur, sudorque manare inchoat, & sic etiam  
 falsum illud sulphureum serum e corpore proscriptitur  
 & profligatur, salutari cum eventu, quem non inexper-  
 tum in historia medica intermittentes hoc modo fuisse

excusas absque externo Medici concursu. En opero sum hunc actum! en salubre officiosumque conamen a provida natura contra hostem materialem directum! cuius vestigia sequi Medicus (qui ejus minister est) studeat, & in dira necessitate, quando natura, more chronicarum affectionum solito, ob concurrentia obstacula propria autocratis vincere intermittentes nequeat, eandem secundet synergetice consilio auxilioque convenienti, artificis est. Huic scopo satisfaciunt remedia, *in initio curationis alterantia & evacuantia, in fine vero motus sistentia.*

I.) Propinanda sunt corrigentia & digestiva viscidum tenax colliquantia v. g. 1) tartarus vitriolat: Arcanus duplicat. 2) nitr. antimoniat. cum absorbente citrato vel simplici; item 3) flores salis ammoniaci, salia vegetabilium fixa, omnia amara, balsamica, item resinosa sulphurea, in quartana maxime, resolvendo & incidendo magnam adferunt utilitatem.

II.) Porro conducunt *Evacuantia* eaque vel per alvum, vel per vomitum, v. g. excretiones naturales si defunt, aut de cruditatibus in ventriculo certi sumus, consulto diebus intercalaribus, vel in quotidiana, quatuor horis ante paroxysmum aliquod vomitorium ex tartaro emet. cum sale medio ordinamus conjuncto, ubi vero praesertim in quartana (in qua positivam quamcumque emesin rejicio) inveterata, aut in aliis febribus, certae circumstantiae contraindican usum vomitorii, substituimus catharsin, monendum tamen, ne draistica sint, sed quae leniter subducunt alvum, cui intentioni inservient Pill. genuinæ Becherianæ s. Stahlianæ, aut in ha- rum defectu aliæ pilulæ laxantes, quibus salia resolventia &

ape-

aperientia sunt subordinanda, ut non solum evacuemus, sed simul alteremus, ex hoc fundamento mercur. dulc. vel æthiops miner. ut insigne præsidium, hic loci potest æstimari. Inter evacuantium numerum venit quoque e-vacuatio per sudorem valde necessaria, adjuvant eandem positive alexipharmacæ v.g. Eff. STAHLLI, vel loco ejusdem, in æstuofis febris, ut in tertiana semibilioſa, Mix-turas diapnoicas melioris tutiorisque indolis esse censeo, etenim plurimæ effentiae in ſinu ſuo recondunt particu-las resinoſas cum ſpiritu vini ſolutas, quæ oblate vim humorum orgaſticam intendunt, hinc meo judicio ſu-derem potius 1.) aquas diapnoicas cum 2.) pulveribus nitroſo temperantibus & quodam acido commixtas, quæ privative, contemperando fanguinis ebullitionem, particu-lasque agiles fulphureas quaſi gindendo, eliciunt ſudorem.

III.) Facta ſic cauſæ materialis ſufficienti evacua-tione, atque subtracto ſomite morboſo, demum quando febris ultra terminum ſuum iſiſit, therapiæ colopho-nem addunt *Febrifuga*, qualia ſunt veteribus opiata uita-tiſſima, Recentiōribus vero crocus martis tener. adſtrig. STAHLLI & 3) famofus cortex chinæ. De his tribus ad-stringentium classib⁹ quot ſunt capita, tot ſunt ſenſus, ut una p̄æ alia ab uno vel altero cauto Medico p̄afe-ratur, cñjus vero experimenti nullus ſum arbiter, incor-prupta tamen fides nudaque veritas eft ſub ſole, quod & Medici & medicastri felici cum ſuccesfu mediante chinæ corticis pharmaco multas cohibuerint febres; quam ob rem nec ego contra experientiam certabo, atque uſum e-jusdem nimis temerarie in totum relegabo, niſi quod commonefaciā circa ejus applicationem ſequentes exhortationes: (a) non immemor ſit peritus ac Machaonia

in arte clarus *subjectorum*, cum quibus agendum habeas, non levius negotio eundem senibus, hypochondriacis, hysterics, spasticis cum stricturis afflictis, nec fœmellis, quibus mensium substitutus fluxus, ubi a tergo sequens leucophlegmacia est extimescenda, offerat, neque illis proficiens, qui ad obstruktiones alvi inclinant, ne hanc exacerbationem multiplicet, quare (*b*) boni est omnis si post febris quotidie respondeat alvus, (*c*) sit sollicitus quoque de non effræni sed blando *corporis motu*, suo suadendo ægroto, quo simul adjuvet transpirationem, (*d*) convenit quoque hunc corticem conjungere cum aperitivis (*e*) optimè in *substantia* eundem porrigitur, (*f*) *suppressa febre* partes robore delassatas æqui bonique consulo, conducunt illico stomachica, & quæ spirituascentiam chylo fecerant v.g. Elixir. stomachic. Zwelffer. Michael. item Ess. Cort. aurant. citr. &c. &c. vel Trageæ stomachales, nimia tamen soteria pocula nocent, sed unum vel altero tantum vini nostri Hungarici (in quo essentialis non arte factus latitat vitæ balsamus) vitreolum post prandium cœnamve assumentum, commendo, (*g*) abstineat etiam æger a nimia ciborum ingluvie, recidivam prævertendi gratia.

His respectibus, probis attentisque oculis, perlustratis, assistente Alma Gratijsaque Dei directione, Cœlesti suo auxilio potentissimo exspectatus recuperabitur corporis vigor, atque desiderata in alacritate sua fruetur æger reportata sanitate, quæ morborum est & Medici

**F I N I S.**

DO.

**DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO**

S. P. D.

**D. MICHAEL ALBERTL**

b. t. Fac. Med. Decanus.

**C**onversio Judæorum argumentum Theologis nostris eximiæ dignitatis præbet: ne vero a medico scopo digrediar, paucis Tecum cogitationes & meditationes meas de *Conversione Ju-dæorum Medica* communicabo: non pauci inter Christianos Medicos reperiuntur, qui vario respectu Ju-daizant; sunt vero vicissim inter Judæos ingenua ingenia, quæ si non æque sua religioni se abdicent, attamen fabulis, opinionibus, traditionibus, superstitionibus, credulitatibus ac commentis, quæ facile Auffâße oder falsche Gesetze der Väter nominare possim, fidem haud tribuunt, indeque in naturali lumine, cognitione & intellectu ad veritatem pertingunt: etenim aliqui selectorum talium ingeniorum durissimum iugum præiudicij cuiusque qualitatis excutunt, & filii Saræ der Freyheit i. e. serenæ, perspicuæ ac religiose veritatis evadunt, unde genuini filii Abrahami in naturalibus existunt, i. e. qui Deum in veris, non fictitiis operibus, nec idolis agnoscent, nec vento fallacissimarum opinionum, ethnicalium sententiarum & callidarum seductionum se in turbinem agi patiuntur. Reminisco hoc loco effati Tertulliani in *apologetico*, (quem librum veneranda antiquitas, pro perfecto & insigni testimonio veritatis Christianæ contra Ethnicos declaravit, unde sequentes Patres Ecclesiæ Minutius, Felix, Laetantius & Arnobius multa mutuarunt) *Videte enim, ipse ait, ne & hoc a*

E 3

irre-

irreligiositas elogium concurrat, adimere libertatem religione  
onis & interdicere optionem divinitatis, ut non liceat mihi colere, quem velim, sed cogar colere, quem nolim: nemo se ab invito coli vellet, ne homo quidem: addo verba illius Galliae Episcopi Hilarii in Lib. ad Imper. Constantium: melius est mihi in hoc seculo mori, quam alicujus privari potestia dominante, castam veritatis virginitatem corrumperre. In foro medico interdum dogmata quædam, velut ex tripode nata, adorari volunt; volunt inquam, nianathema medicum effutiri, aut sub varia larva cogi innocentes mentes debeat; & dum conversio medica et tenebris commentorum, opinionum, assimilationum, figurorum, præjudiciorum, petitionum principii, contradictionum, falsarum narrationum, ad lucem demonstrationum & sobriarum rationum fieri debet, optime sane illi sibi consulunt, qui juga privati dominatus, sordidae philavtiæ & barbae caprinae excutiunt, vicissim castam, mundam & optime connectentem veritatem amplectuntur: irreligiositas enim medica est, digniori cause subtrahere illa privilegia, quæ almus Creator eidem tribuit, eademque viliori cause monstruo authoritatis vultu & fulcro adscribere & affingere. Veritas non vult cogi, sed agnosciri, non lepidis narratiunculis ac ætheris & elateris comoediis atque larvis, velut leonina pelle ornari, sed ingenue demonstrari. Quæ Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi, omniumque Christianorum, qui Patriarchis & Moyysi apparuit, primæva creatione connexuit, ea frivole alia phantasia separare haud debet, atqui Deus Animam & Corpus, plus quam ulla alia subjecta creata communivit (haud vero metaphysica unione, de qua alta sæpe floret ignorantia) ergo hic nexus divinus etiam in religione medica probatus est. Tu Præstantissime Dn. Candidate sub curriculo studiorum, plus quam triennali Danielitico, varias me-

medicas sententias audivisti, idq; laudabili omnino solertia;  
nec te poenitebit varia audivisse, quo ad meliorem veri-  
tatis cognitionem perveneris; nam qui ab unius tantum o-  
re hæret, ille ambiguis fluctuat labris, & authoritatis præ-  
judicio obnubilatus, in diem nugatur, quicquid in buc-  
cam venit, & si animæ osor est, trunci instar judicat &  
non nisi ex aëre, æthere, fluido & solido lepide philo-  
sophatur. Publicum utique Medicum Tuum studium  
meretur encomium, dum non in medica veritate cæcus.  
Judæus fuisti, nec stupido animo credidisti, ut Judæus  
Apella, sed varias deductiones perceperisti, imo bene judi-  
casti, & sic lucem a tenebris, amarum a dulci, verum a  
falso quadantenus, est in Medico studio, discernere didi-  
cisti: attento enim animo annotasti quantum animæ &  
materiæ dignitati, activitati & viribus tribuendum sit, in-  
superque certas sobriæque rationi magis conforne phœ-  
nomenorum, effectuum & mutationum ad Medicum fo-  
rum spectantium causas comprehendisti, nec ad dubiam  
fidem medicam cogi, duci, trahi, trudi, impelli & per-  
suaderi passus fuisti, quippe qui malus mos est ad me-  
liorem religionem medicam convertendi: veritas enim  
religiosa est! affectata persvasio vicissim & ludicra op-  
nio, superstitionis atque ethnica, propterea que ab omni-  
vero & ingenuo Dei cultore fugienda est: in memoriam  
hoc in passu mihi incidit effatum prudentissimi cuiusdam  
regii Cancellarii, videl. MICHAELIS HOSPITALII Hen-  
rici IV. aut magni Regis Galliæ Cancellarii, qui cum pri-  
ma vice in Parlamento Parisensi An. 1560. comparuerit  
(vid. THUANUS Lib. 25.) inter alia monita, ita differuit:  
*in religionis causa non aliunde remedium quæri potest,  
quam a Dei ope: armis & vi bactenus rem sed infeliciter  
tentatam & superiores Reges fecisse, quod non imperiti me-  
dici vulgo faciunt, qui cognitum morbum babent, causam*  
*eius.*

lus plerumque ignorant: nunc exemplo & experientia  
omnes edocetos, vim remedium intempestivum esse: nam  
quas non leges sancitas? quas non paenae indictas, senato-  
ribus ipsis exitiosas? in Germania vero, Anglia, Scoria,  
quid armis profectum, nisi ut antiqua religio in periculum  
vocaretur, nova stabiliretur? non ut corporis sic animi mor-  
bos curari debere, quos ratione & verborum lenitate poti-  
us, quam asperitate ad sanitatem reduci usum compertum est:  
Quam saepe religio & veritas Medica armis & vi preju-  
dicatorum, asperitate odii, persecutionis & sycophan-  
tiæ offendatur & violetur, haud difficile est probatu: Tu  
vero scopulos & syrtes tales feliciter effugisti, adeoque  
sub assiduo studii medici cultu ad religiosam veritatem  
pervenisti indeque laude dignos profectus in studio Me-  
dieo prospere assecutus es: ex hoc eleganti thesauro laudabilis e-  
ruditionis medicæ, præsens speciem sub usu & applicatione pro-  
priæ capacitus exhibuisti, insuperque ingenuam mentem ad vir-  
tutis & modestiæ officia directam probasti. Nostri vero propheticum  
illud dictum *Esaie* V. v. 22. *V&e qui sibi sapientes videntur, suoque*  
*judicio sunt prudentes: nec Tu comparate prudens tantum tuo ju-*  
*dicio fuisti, sed sedulo studio tales etiam manuductores adhibuisti,*  
*qui non sibi sapiunt, nec aliis elato collo & ridiculo fastu se an-*  
*teponunt nihilque rectum, verum & salubre esse jactitant, quod*  
*non ipsorum opinioni, moribus & consiliis convenit. Quod super-*  
*est quælibet prospera ac salutaria Tibi appreco, de felici academico-*  
*rum studiorum decursu & ornamento Doctorali gratulor & ut*  
*probi conatus medici ad desiderata vota optime succedant, propen-*  
*so desiderii affectu ingemino: annitere ut cum aliis piis ac religio-*  
*sis medicis, iuxta Sapientia librum cap. V.v. 16, utpote justus & justi-*  
*ficiatus, insuperque verus Abraham filius in perpetuum vivas, ha-*  
*beasque in Deo positam mercedem, quæ æterna & beata vita est, ut*  
*adhuc experiaris, quæ Moyses Deuteronom. IV. v. 30. & Hoseas III. v. 4. 5.*  
*de gente Judaica evangelizat, quæ summa erit ac perfectissima Di-*  
*gnitas, celebritas & immunitas. Vale. Dabam Halæ Magdeb.*

VII. Idus Januarii A. O. R. clo lo cxxxiv.




Halle, Diss. 1733

ULB Halle

004 928 121

3





1733 E 13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Inches  
Centimetres

THESES PATHOLOGICO-THERAPEVTICÆ INAUGURALES

DE

# CAUSIS INTERMITTENTIUM FEBRIUM, EARUMQUE PERTINACIÆ RATIONE,

QUAS

IN INCLYTA ACADEMIA FRIDERICIANA  
INDULGENTISSIMA AUCTORITATE REGIA,

ET

CONSENSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

PRO

## GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIME IMPETRANDIS

EXHIBUIT

D. Decembr. Anno MDCCXXXIII.

AUCTOR

## MICHAEL NATHANI HIRSCHEL

POSONIO HUNGARUS  
GENTE JUDÆUS.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
EX OFFICINA HENDELIANA,